

III
 NUMMI CASTRENSES
PAULI TERTII, PONTIFICIS AL-
 ter: alter legati sui eque filio Nepotis Alexandri Far-
 nesij Cardinalis: S. Rom. Ecclesiæ Vicecancel-
 larij: Cusi armis contra Protestantes
 sumptis. Anno Christi
 1546.



VT suum quoque zelum in defendendâ religione Romanâ testaretur Paulus III. Pontifex, Carolo V. contra Protestantes omnibus rebus instructum mittit exercitum: qui ad idus Augusti anno 1546. Landshutum venit: tantò Imperatori grator & acceptior, quod de Smalcaldicorum progressu certior factus, dimissis nūcijs illum, vt acceleraret, hortatus fuerat. Peditum erant millia decem. equites levis armaturæ quingenti. His omnibus copijs nepotem suum ex filio Octauium Farnesium Pontifex præfecerat. Octauio militabant magni nominis duces, Alexander Vitellius: Joannes Baptista Sabel.